



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Dn. Conradi Clingii Theologi Et Ecclesiastae Celeberrimi
(dum vixit) apud Erphordiam Turingiæ, Catechismus
Catholicus, summam Christianæ institutionis III. libris
succinctim complectens**

Klinge, Konrad

Coloniae, 1570

VD16 K 1309

3. Quàm graue peccatum sit luxuria, & quòd damna grauissima mereatur.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29452

putruerunt iumenta in stercore tuo. Est etiam diabolus luxuriæ piscator ille, de quo Abacuki. Totum in hamo suo leuauit, totum traxit in sagena sua. ita capit luxuriosos hamo suo (*mit dem narrensey!*) & ligat etiam fortissimos terræ, vt Samsonem, Herculem, & alios &c.

Tertio, ex damnis & pœnis illatis peccato luxuriæ facile notari potest, quam graue & fœdum peccatum sit coram Deo luxuria. Horrenda enim exempla notat scriptura, & 1. Genes. 6. causa diluuij fuit luxuria, eò quòd (vt dicunt Doctores) mulieres supergressæ viros, illis abutebantur ob nimium ardorem &c. Similiter propter libidinem perièrunt funditus quinque illæ ciuitates cum adultis & paruulis. nam pluit Dominus super Sodomam & Gomorrham ignem & sulfur &c. Pœnæ huius peccati & comminationes grauissimæ passim habentur in scriptura, Leuit. 20. Exod. 22. Numer. 25. vbi propter fornicationem populi principes suspenduntur, & occiduntur 24. millia hominum, item ob vitiatam vxorem Leuitæ occiduntur plusquam 18. millia hominum, vt patet Iudic. 19. & 20. item propter violatam Dinam virginem filiam Iacob, omnes masculi in ciuitate Sichimorum occiduntur. Sic Absoloni malè cessit sua fornicatio cum concubinis patris sui. In Euangelio Lucæ decimo quarto: qui vxorem duxit, non venit ad cœnam, id est, propter abusum luxuriæ &c.

3.

Genes. 34. 7

CAPVT XII.

ARGVMENTA.

1. De luxuriosa & inhonestâ chorea.
2. Quæ peccata regnent & fiant in saltatione:
3. Quomodo puniatur à DEO.

M M 2

Primò